

Dissertatio inauguralis medica de dysenteria contagiosa praecipue de illa specie, quae in Indiis occidentalibus observatur.

Contributors

Barton, James.
Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

Leiden : A. en J. Honkoop (Firm), 1788.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d5tpkv2m>

Provider

Royal College of Physicians

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

with the author's signature
Compl^{ts} //

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

D E

DYSENTERIA CONTAGIOSA, PRAE-
CIPUE DE ILLA SPECIE, QUAE
IN INDIIS OCCIDENTALI-
BUS OBSERVATUR,

Q U A M

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate RECTORIS MAGNIFICI,

FRIDERICI GUILIELMI PESTEL,

JURIS UTRIVSQUE DOCTORIS ET JURIS PUBLICI
AC PRIVATI PROFESSORIS ORDINARIUM,

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*
& *Nobilissimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite
ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit

J A M E S B A R T O N,
A N G L O S.

Ad Diem XXIV. *Decembris* MDCCLXXXVIII. H. L. Q. S.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD ABRAHAMUM ET JANUM HONKOOP.
MDCCLXXXVIII.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT
5712 S. UNIVERSITY AVE.
CHICAGO, ILL. 60637

PHYSICS 301
LECTURE NOTES

BY
J. D. VAN VLIET

1963

PHYSICS 301
LECTURE NOTES

BY
J. D. VAN VLIET

1963

PHYSICS 301
LECTURE NOTES

BY
J. D. VAN VLIET

V I R O

INTEGERRIMO, ERUDITISSIMO

ROBERTO KNOX,

SUMMO NOSOCOMIORUM REGALIIUM

IN CANADA SITORUM.

INSPECTORI FIDELISSIMO,

MAGNAE BRITANNIAE REGIS EXERCITUUM

PER QUAMPLURIMOS ANNOS

MEDICO ORDINARIO,

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

SOCIO DIGNISSIMO,

APUD LONDINENSES SALUTAREM ARTEM

FELICITER EXERCENTI,

AVUNCULO AESTUMATISSIMO

PLURIMUM REVERENDO.

Haec Studii Primitias

D. D. D.

JAMES BARTON.

*In cognitione veri vitandum est, ne incognita pro cognitis
habeamus, hisque temere assentiamur: quod vitium effu-
gere qui volet, (omnes autem velle debent) adhibebit ad
considerandas res & tempus, & diligentiam.*

C I C E R O.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

D E

DYSENTERIA CONTAGIOSA
PRAECIPUE DE ILLA SPECIE,
QUAE IN INDIIS OCCIDEN-
TALIBUS OBSERVATUR.

P R A E F A T I O.

Ratio cur hancce materiem pro Inaugu-
rali mea Specimine, quo legibus hujus Aca-
demiae obtemperabo, potius quam aliam ele-
gerim, certe est, quia dirissimi hujus mor-
bi plurimos mihi contigit vidisse casus, quia
permulti pestifero illi morbo laborantes meae
curae traditi erant, ab initio enim anni

A

MDCCLXXX;

MDCCLXXX. usque ad finem anni MDCCLXXXII. militum cohors in insula Jamaicensi, cujus mea erat cura, ab illo morbo, praecipue paullo post eorum exsensionem e navibus, frequentissime aggredirentur, magna ergo uti decet animi attentione debitaque sedulitate hujus mali ingressus, progressus, symptomata & exitus diligenter observavi, Phaenomena in ab hoc morbo trucidatorum cadaveribus, qua data occasione, exploravi & fideliter annotavi, sic magnam, & ut videbatur non inutilem non tantum hujus, sed aliorum morborum observationum seriem collegeram & chartis mandaveram, quam saevissima notabilissimaque tempestate exeunte anno MDCCLXXXII. summo moerore una cum multorum opibus in alto mari sepultam vidi, post illud irrevocabile damnum primam mihi oblatam occasionem arripui adnotandi denuo omnes antea adnotatos casus, quos iterum in meam mentem revocare potui, & qui mihi alicujus momenti esse videbantur, & hae oblivioni ereptae observationes partem hujus Dissertationis constituent, omnia ergo, quae de hocce morbo novi, omnes meae circa illum observationes ex purissimo fonte, naturae fidelissima observatione haustae sunt, in illa

orbis terrarum parte captae, ubi vera Dysenteria contagiosa plus quam in aliis praecipue septentrionalibus regionibus morbus endemius videtur; ex tali abundantanti scaturigine defumtae animadversiones certe veritati & experientiae magis analogae erunt, quam ubi talis autopsiae occasio deest, tali ergo fundamento tota haec Dissertatio nititur, neque vanae theoriae atque inutili hypothesium fuco fidem habebo, in morbi descriptione summorum in arte Virorum testimonia & observationes ad confirmandas meas opiniones tantum adducam, illorumque effata circa hujus morbi causas, symptomata & curam memorabo, me tamen, licet fateor me symptomatum observatione & remediorum successu ad causae Dysenteriae cognitionem manu naturae quasi ductum esse, B. L. non pro Empyrico habeas.

Quod ad thematis mei tractationem attinet, certus sum, me multa omisisse, multa non pro dignitate pertractasse, si modo hocce qualiacunque tentamina clarioribus ingeniis ad ulteriorem in hunc morbum indaginem stimulent, sique eo modo pro meis viribus Generis Humani salutem consulere mihi liceat, summe felicem me habebo.

4 DISSERTATIO MEDICA

Quod ad stili nitorem & elegantiam, in hoc respectu benevolentiam tuam L. B. quam maxime rogo SENECAE verba in tuam revocans memoriam:

„ Non quaerit aeger Medicum eloquentem, sed sanantem. ”

C A P U T P R I M U M.

De Dysenteriae Etymologia Definitione & variis ejus speciebus.

§. I.

Nominis Dysenteriae Etymologia variis inter Auctores discrepantiis ansam praebuit: Nonnulli, nomen a tribus verbis Graecis *δυσ* difficultas, *έντερον* intestinum & *ρέω* fluo derivârunt, haecce derivatio tamen mihi minus placet, quoniam pleraeque fluxuum denominationes, quae verbum *ρέω* postulant, non ut Dysenteria in *ria* terminantur, sed fere semper in *rhea* ut Diarrhea, Menorrhœa, Leucorrhœa, magis mihi arridet derivatio ex *δυσ* & *έντερον*, praecipue quoniam Veteres nullius fluxus in hujus morbi descriptionem mentionem fecerunt, sed hoc nomine difficultatem Intestinorum indicare voluerunt,

CELSUS vox Dyfenteriae cum voce tormina permutavit. „ Proxima, ait, his inter intestinorum mala tormina esse consueverunt *δυσεντερία* Graece vocatur (a): SCRIBONIUS dyfentericos, id est torminosos, scripsit (b).

Haec tamen denominatio morbi ideam minime tradit, Difficultas enim Intestinorum, tormina, in aliis morbis a Dyfenteria quam maxime diversis locum habere possunt, nonne in Diarrhea testante CULLEN (c) & affirmante quotidianâ experienciâ gravissima tormina saepe adsunt? neque illo nomine sanguinis memoratur effluxus, qui, licet signum non vere pathognomonicum hujus morbi tamen frequentissima molestissimaque Dyfenteriae comes est.

Haec de nostri morbi Etymologia sufficere credo.

§. I I.

(a) CELSUS *de Medicina Lib. IV. Cap. XV.*

(b) G. A. SCRIBONII *idea Medicinae &c. in 85.*

(c) CULLEN *Practici of Physick Part. II. Book III. Chap. XI.*

§. I I.

Variae a variis Auctoꝛibus hujus morbi producantur Definitiones, a nonnullis definitur, quod sit cruenta alvi dejectio cum dolore & ventris torsione (*d*), alii illam torminosam & ulcerosam dejectionem vocârunt (*e*); sunt qui sanguinis evacuationem tanquam pathognomonicum hujus morbi Phænomenon in suis definitionibus & descriptionibus memoraverunt, inter quos praeter mox memoratos Auctoꝛes SAUVAGES (*f*) LINNAEUM (*g*) & MACBRIDE (*h*) adducere satis erit. — alii tensesmis & torminibus potius animam advertent, & sanguinis excretionem vel plane omiserunt, vel non nisi in transitu quasi, & tanquam signum, quod saepe non semper tamen

lo.

(*d*) J. OOSTERDÿK SCHACHT *Inst. Med. Pract. Lib. VII. Cap. XIV. p. 223.*

(*e*) C. PISO *de Cogn. & Cur. Morb. V. 2. Cap. XV. p. 155.*

(*f*) SAUVAGES *Nosolog. Method. V. 3. p. 72.*

(*g*) LINNAEI *Gen. Morb. 192.*

(*h*) MACBRIDE *Introduct. Method. in Theor. & Prax. Medic. p. 2. lib. 3. cap. 3.*

locum habet, definitionibus adjunxerunt, inter quos SYDENHAM (i) HALLER (k) HOME (l) & A. DE HAEN (m) nominasse sufficiat; Febris continua remittens frequentissima Dysenteriae contagiosae comes, a per multis Auctoribus praeterita, a STOLL (n) & VOGEL (o) tamen memoratur.

Optima mihi videtur definitio CULLENII, & meae experientiae quam maxime congrua, certe illam hujus morbi, quem vidi ideam, graphice depingit, cum dicit, Dysenteriam constituere Pyrexiam contagiosam; dejectiones frequentes, mucosas, vel Sanguinolentas, retentis ple-

(i) SYDENHAM. *Opera Sect. IV. Cap. III. ed. Leid.* p. 178.

(k) HALLER *Histor. Morb. Uratislav. anni MDCXCIX. Sect. I. p. 66.*

(l) HOME *Principia Medicinae p. 3. Sect. 12.*

(m) A. DE HAEN *Praelect. in H. BOERHAAVE Institut. Patholog. edit. a F. DE WASSERBERG Tom. III. §. 815. p. 151.*

(n) M. STOLL. *Ratio Medendi in Nosoc. Vindabon. p. 3. Sect. IV. Cap. 2.*

(o) R. A. VOGEL *Praelect. de Cogn. & Cur. C. H. affectibus p. 245.*

plerumque foecibus alvinis; tormina; tenes-
mum (p).

§. I I I.

Variae Dyfenteriae species a Nofologis memorantur, nonnulli Auctores, illi praecipue, qui Sanguinis vel foecum cruentarum excretiones pro signo Dyfenteriae diagnostico habuerunt, omnes cruentas per anum evacuationes ad nostrum revocârunt morbum, sub hoc titulo ergo SAUVAGES in sua Nofologia egit de *Dyfenteria benigna Spontanea* (q), quae a variis plethorae speciebus oriri potest, a Sanguinis vera abundantia sive plethora ad molem, a plethora ad spatium post membri notabilis amputationem, a plethora ad volumen, quando Sanguinis molem a calore auctam deprehendimus (r); benigna tunc mater Natura, nostram laborans salutem, superabundantem & inde nocituram Sanguinis copiam hac via e nostro corpore eliminare
ten-

(p) CULLEN *Synops. Nosol. Method. Gen.* 41.

(q) SAUVAGES *Nosol. Method.* 3. p. 74.

(r) GAUBIUS *Institut. Patholog.* §. 387 & seq.

tentat. Haec Dyfenteriae species, si eo nomine hunc morbum vocare liceat, ergo minime cum nostro morbo convenit, aequè minus ac a supra nominato Nosologo memorata *Dyfenteria catamenialis & gravidarum* (s), quae potius cum fluxu haemorrhoidali inter benignae naturae conamina revocare debemus.

Alia memorata Species, quae a potu nonnullarum aquarum in hominibus non assuetis locum habet, talis in quibusdam regionibus exteros invadit, ut frequenter Parisiis, Londini, Amstelodami (t), ut etiam in Indiis Orientalibus observatur (v); a drasticorum abusu oriri potest Dyfenteria, ut etiam ab acris ingestis, fructibus immaturis, illa tamen species, quando nihil nisi acrimonia peccat, non est contagiosa & facilius sanatur (x).

Sed inter illas species, quae ad nostrum morbum propius accedunt, numerari merentur.

Dy-

(s) SAUVAGES *loc. citat.* p. 74, 75.

(t) SAUVAGES *loco citat.*

(v) BOND *de Medic. Ind. Cap. 3.*

(x) SAUVAGES *loc. citat.* p. 78.

Dysenteria atrabiliaria, quae febre continua remittente etiam comitatur, excretæ faeces virides, atrae, vehementer foetentes sunt, ingens adest virium prostratio, verbo, morbus est perniciosissimus, de quo HIPPOCRATES iam dixit, Intestinorum difficultas (Δυσεντερία), si ab atra bile ortum duxerit, lethalis (y).

Dysenteria miliaris morbus est exanthematicus, ubi materia acris intestina erodens cum villosae Intestinorum tunicae frustulis ejicitur, quando in excrementis simul adest materia carnosa ex Lympha & Sanguine coagulatis constans, vocatur *Dysenteria carnosa* (z).

Dysenteria Intermittens febre nempe & Symptomatibus intermittentibus stipata, & Cortice Peruviano, omnibus aliis remediis incassum adhibitis, optime sanata annotata fuit a D. LAUTTER (a).

Dy-

(y) HIPPOCRATIS *Aphorism. Sect. IV. Aphor. 24.*

(z) SAUVAGES *Nosol. Method. p. 80, 81.*

(a) F. T. LAUTTER *Historia Medica biennialis morborum ruralium &c. p. 104 & 117.*

Dysenteria alba omnibus genuinae Dysenteriae symptomatibus stipata est, Sanguis neque purus, neque cum foecibus commistus excernitur.

Dysenteria castrensis a RAMAZZINI observata (b) & a PRINGLE eleganter depicta est (c).

Dysenteria epidemica quam optime descriptam invenimus a BAKER (d); a SYDENHAM in libro mox citato, a DEGNER in tractatu de Dysenteria Biliosa contagiosa Neomagensium.

Dysenteriam a frigore oriundam descripsit Doct. ROUPPE (e), quae quoad Symptomata admodum cum nostra Dysenteriae specie congruebat, methodus tamen curandi prouti aliâ nitens causâ, admodum diversa erat.

Dy-

(b) RAMAZZINI *de Morbis Artificum* Cap. 40. Oper. omn. p. 368.

(c) PRINGLE *Diseases of the Army*.

(d) GEORGIUS BAKER in libello de Catarrh. & Dysenter. Epidemic. Londin. in Thesauro Cl. SANDIFORT.

(e) L. ROUPPE M. D. *de Morbis Navigantium* Cap. II. Sect. 3.

Dysenteria Æquinoctialis Indica in Indiis Orientalibus a Doct. BOND fedulo & fcienter obfervata & fideliter annotata eft in tractatu de morbis indicis (f). Quatuor posteriores hujus morbi fpecies quam maxime cum morbo mox defcribendo conveniunt, imprimis ultima in Indiis obfervata, cujus caufae & Phaenomena aequae ac maxima curandi methodi pars quam aptiffimi cum noftrae Dyfenteriae fpecie congruunt.

§. I V.

Diagnofis, qua Dyfenteria contagiofa ab aliis morbis nonnullis fymptomatibus cum illa convenientibus, vel etiam ab aliis hujus morbi fpeciebus, ex diverfis caufis oriundis, dignofci poffit, ex praecedenti breviffimâ aliarum fpecierum defcriptione cum fequenti fideliffimâ morbi hiftoriâ comparatâ haud difficile perficitur, in nonnullis morbis, ut in fluxu hæmorrhoidali, evacuatio Sanguinis ad-
eft fine torminibus, fine fignis contagii, fine virium prostratione, fine excretionibus alvinis
mu-

(f) JAC. BOND de Medicina Indorum Cap. 3.

mucosis, potius foeces durae sanguinem ex vasis haemorrhoidalibus apertis exprimunt; in Diarrhoea foeces liquidae, nonnunquam etiam muco permistae excernuntur, adfunt tormina, non tam valida ac in Dyfenteria, neque eo in casu Sanguis excernitur, nec Tenesmi tam crudeliter aegros cruciant.

A. Lienteria & Fluxu Coeliaco non tantum ea ratione differt, quod in illis morbis Sanguis non excernitur, signum certe in Dyfenteria non diagnosticum, sed quoniam in illis evacuationibus sine notabili cruciatu vel tenesmo, alimenta vix vel non vix quidem digesta, vel etiam materia alba chylosa excernuntur, praeter alia signa, quae paulo attentiori Medico haud evadere possunt.

§. V.

Morbus ille vel *Idiopathicus* est, qui sine ullo morbo praegresso sponte oritur, vel *Sympathicus*, quando alius morbi ob benignae Naturae conamina vel infaustam materiae morbificae metastasin sequela est.

CAPUT SECUNDUM.*Historia Morbi*

§. I.

Illa Dyfenteriae species, quam in Indiis Occidentalibus frequentissime observavi, & cujus cura saepenumero meum occupavit animum, cum Dyfenteria biliosa contagiosa a DEGNER (*a*) & Dyfenteria castrensi a PRINGLE (*b*) tam exacte descriptis egregie conveniunt, immo plane pro uno eodemve morbo possunt haberi, exceptis tantummodo illis symptomatibus, quae peculiari Indorum Occidentalium climati & Incolarum victus rationi tribui debent.

Quan-

(*a*) DEGNER *de Dyfenteria biliosa Neomagensi.*

(*b*) PRINGLE *on Diseases of the Army.*

Quando Idiopathicus est morbus, neque alius morbi decursum sequitur, frequenter sequenti modo sese manifestare solet. — Duo tresve dies antequam malum sese manifeste monstrat, æger corripitur nausæâ & oppressionis sensu in regione ventriculi, unde patet quod illud viscus non debite suas agit functiones; Digestio alimentorum non rite perficitur, facies pallefcit, & videtur adesse universalis vasorum omnium cutaneorum per totam corporis superficiem constrictio, una cum illis symptomatibus, quae primum stadium febrile comitantur; Saepissime observatur conamen ad vomitum, immo hâc viâ non raro materia viridescens acris, immo nonnunquam corrodens excernitur, postquam haecce symptomata per diem unum vel alterum adfuerunt, sentitur frequentissime dolor vehemens, acutus in regione epigastrica paullo infra ventriculum, eo in loco, ubi Colon sub flexuram ejus magnam decurrit; In eo temporis puncto incipiunt alvineae excretiones, in morbi initio copiosae & biliosae, dolor tunc magis ad inferiorem abdominis partem vergit; Quando morbus ad eum pervenit statum, plerumque sentitur febris exacerbatio vespertina, cujus symptomata omni mane remittunt; dico ea tantummodo remittere, semper enim per uni-
ver-

versum morbi decursum febris manet cum ingenti virium prostratione (c), alvi excretiones nunc continuo pergunt, dolor, tormina (d) & tenesmus magis magisque incrementum, & non amplius, ut in mali initio, copiosae fiunt excretiones biliosae, sed, licet continuo desidendi adsint conatus involuntarii, nihil nisi paululum mucis saepe spumosi excernitur, intolerabili cum dolore, etiam sanguine plus minus tingitur, immo nonnunquam violentissimo nixu frustra diu adhibitione hilum quidem exprimitur: dirissimus ille Tenesmus, gravissimum atque prorsus intolerabile hujus morbi symptomata est, quo miserorum corpus & anima adeo vehementer afficiuntur, ut robustissimos viderim milites dolore & crudelissimis frustra adhibitis conatibus prostratos lacrymas fundentes, & miserabili ejulatu de intolerabili malo quaerentes. (e)

Quando haec symptomata diu durant, tunica Intestinorum villosa saepissime abraditur, & tandem, ano excernitur: Non raro etiam aequae

(c) AËTIUS *Tetrabibl.* III. *Serm.* I. *Cap.* 43. *p.* 542.

(d) DEGNER *Cap.* III. *Seçt.* 58.

(e) AËTIUS *Tetrabibl.* loco citat.

que ac PRINGLE (*f*) vidi corpuscula pinguedinosa (*g*) & scybala duriora excreta, tenesmi nonnunquam adeo validi sunt, ut ani prolapsus locum habeat, immo etiam, ob partium vicinarum consensum, stranguriam in illo morbi stadio observavi; (*h*) Lingua plerumque per universum morbum fordet, & fitis intensa est, tandem postquam Dysenteria per longum vel brevius temporis spatium, prouti aegri vires majores vel minores, prouti magis vel minus, ad putredinem dispositus est, morbus ille prorsus formam febris lentae malignae assumit (*i*), non amplius percipiuntur remissiones, & verisimiliter gangraena in illo morbi periodo tubum Intestinalem incipit afficere, tunc enim peculiaris percipitur odor, quem nullis verbis describere possum, sed qui ab experto ad aegri spondam accedente facillime dignoscitur, quem semper tristem mortis nuncium esse observavi, licet in nonnullis casibus percipiebatur tres vel quatuor dies, antequam aeger ad plures abiit.

Foe-

(*f*) PRINGLE *Chap. V. Sect. I. part. III.*

(*g*) AËTIUS *loc. cit.*

(*h*) PRINGLE *loc. cit.*

(*i*) PRINGLE *ibid.*

Foetor ille, licet probabiliter a gangraena incipiente ortus, tamen plane differt ab omni alio foetore putredinoso a me unquam percepto. (k) Postea foeces foetidissimae, saepe etiam spumosae (l) excernuntur (m), facies adest Hippocratica (n), cum delirio lucidis tamen intervallis interstincto; tandem in ultimo morbi stadio dolor plane cessat, aegro, saepe etiam adstantibus, spes sanationis, ut ultima lampadis scintillatio, affulget, seseque melius habere affirmat, donec, Gangraenâ nunc magis magisque proserpente, mors inopinata tristissimam scenam claudit.

§. I I.

En frequentissimus hujus morbi decursus, qui tamen non raro aliis comitatur Phaenomenis.

In

(k) DEGNER *l. c.* Cap. I. §. XXIX.

(l) AËTIUS *Tretrabibl. l. c.*

(m) MACBRIDE *Introd. in Theor. & Prax. Med. part. II. Lib. III. Cap. 3.*

(n) DEGNER pag. 266.

In nonnullis casibus nulla nausea & ventriculi percipitur oppressio, sed faciem potius habet inflammatoriam, in hocce casu non tam velox est Dyfenteriae progressus, & tenesmus non apparet ante diem octavum vel decimum (o).

Observavi quod, quo vehementiora Phænomena erant secundi stadii, febrilis nempe, eo minor erat morbi impetus versus Intestina, tenesmus tardius sese exhibebat, motu ille febrili forte revellebatur impetus humorum a tubo intestinali, hoc certe in omnibus fere casibus observavi, quod excretiones alvinæ omni mane durantibus febris remissionibus frequentiores, & magis copiosae erant, sed in febris exacerbatione iterum diminuebantur.

In aliis, paucioribus tamen casibus, febris intermittens larvam induebat, & tunc mox notata observatio aperte in conspectum veniebat, excretio enim alvina durante febre prorsus cessavit, post ultimum febris stadium,
 fa-

(o) MACBRIDE *Lib. citat. p. 202.* OOSTERDYK
 SCHACHT *Instit. Med. Pract. P. 2. Lib. 7. Cap. 14.*

fudoris nempe, finito paroxysmo mox redibat.

Non memini me unquam universum hujus morbi decursum sine sanguinis evacuatione observasse, licet hoc Symptoma, in hoc morbo frequentissimum, a permultis Auctori- bus pro Phaenomeno inseperabili & signo diagnostico non habeatur. Nonnunquam in hoc morbo ingentem observavi flatuum molestiam & alvi evacuationes quam maximè borborygmis comitabantur, in aliis casibus illud tamen locum non habebat.

§. I I I.

Haec sunt Phaenomena, quae in Dyfenteria Idiopathica observavi. Sympathica Dyfenteria alium morbum comitans vel subsequens, praegressi vel praesentis hujus morbi Symptomatibus quam maxime immutatur, variaque illius mali assumit Phaenomena, quorum ulterior descriptio angustas Academicae Dissertationis limites longe lateque superat.

Hoc tamen animadvertere debeo, quod Dyfenteriae mox descriptae species, con-

fentientibus omnibus de ea agentibus Medicis, morbus est summe contagiosus (*p*), atque illud malum luce meridianâ clarius suam pestem ab uno lecto ad alium propagare vii, illudque contagium sufflaminatum observavi illis remediis prophylacticis, quae, quando de cura agemus, in censum venient.

Certe hîc locus erat aptissimus ad collocandas illas observationes in cadaveribus hoc malo trucidatorum captas & adnotatas, magnus tamen eorum numerus diro fato mihi dolenti, ut in praefatione dixi, ereptus fuit; pauca quaedam memorabo in partibus corporum hoc morbo affectis observata, partium non affectarum conditiones in memoriam revocare nequeo.

In omnibus cadaveribus perlustratis intestinalia tenuia mihi non apparuerunt erosa (*q*) ulceribus vel gangraenâ affecta, non nisi inflamma-

(*p*) Quod DEGNER *l. c.* VOGEL in *Praelect. Med.* CULLEN, MACBRIDE, PRINGLE, omnesque Auctores, qui de hac Dyfenteriae specie scripserunt, una ore confirmant.

(*q*) AETIUS *Tetrabib. III. Serm. I. Cap. 43. p. 541.*

mata illa vidi, praecipua hujus mali sedes colon erat & rectum, quae in plerisque casibus praeternaturaliter constricta inveni frequentissime tamen mali sedes in intestino Colon erat, quod saepenumero gangraenatum vel ulceratum mihi apparuit & quam optime cum observatis MORGAGNI (r) congruit haec observatio, quod etiam ad notatum invenio apud BONETUM (s): Exulceratio Intestini Recti non nisi raro mihi occurrebat. In cellulis intestini Coli memini me vidisse frustula lymphae coagulatae caseo simillima. (t)

Haec sunt post mortem observata, quae in mentem revocare potui, non magni certe momenti sunt & vix memoratu digna.

Datâ qualicunque hujus Morbi Historiâ, procedendum erit ad enumerandas ejus Causas.

(r) *Epistola Anat. Med.* XXXI — G. BAKER in *libello supra citat.*

(s) BONETI *Sepulchret. Lib. 3. Sect. XI. obs. 6.*

(t) MORGAGNI *loc. citat. Art. 17.*

 CAPUT TERTIUM.

De Causis nostrae Dysenteriae Speciei.

§. I.

Causa hujus Morbi proxima pro magnis in arte viris aenigma est, testante etiam CULLEN (a), qui constrictionem Intestini Coli pro hujus mali causâ proximâ habere voluit, certum est, quod post mortem tales inventae fuerunt constrictiones, hae tamen, si a tanto Viro dissentire auderem, potius pro morbi effectu, quam pro causâ salutarem, & malle cum sagacissimo dysenteriae observatore DEGNER (b) aliisque Auctõribus pro ejus causâ
 ha-

(a) CULLEN *Pract. of Phys. Part. I. Lib. V. Sect. 1077.*

(b) DEGNER *de Dysent. Contag.*

habere materiem acrem vel in ipsis Intestinis productam vel aliorum adlatam, neque videntur argumenta a CULLEN ad hanc sententiam oppugnandam advecta (c), si dicere fas sit, mihi plane peremptoria, dicit, „ quod „ materia acris in tubo Intestinali haerens pro „ proxima Dyfenteriae causa haberi nequit, „ quoniam in omnibus casibus ubi talis stimulus ad intestina applicatur, alvina excretio „ certe copiosior redditur, quod tamen in „ Dyfenteriâ locum non habet.” Cui respondeo, 1o quod in genere in initio hujus morbi certe evacuationes alvinae largissimae & biliofae, sunt testante etiam PRINGLE (d) 20. Quod in plerisque casibus, ubi tunica Intestinatorum villosa abrasa est, excretiones non sunt copiosae, sed potius parcae; Si materiae quaecumque etiam blandissimae, mitissimae inflammatae & excoriatas intestinorum tunicas tangant, validissima inde oritur irritatio, motus illorum peristalticus augetur & conamina ad excernendas foeces excitantur, etiamsi nihil in intestinis excrementitium adfit, validi & dolorifici oriuntur tenesmi sine

ul-

(c) CULLEN l. c.

(d) PRINGLE *Diseases of the Army* P. 3. Ch. 5. S. 1.

ulla foecum vel aliarum materiaram evacuatio-
 ne, 3^o. Tenesmus ille frequentissimum symp-
 toma est post hypercatharsin, sive illa a vene-
 nis arsenicalibus, aliisve, sive a drastis ori-
 ginem habeat. Ex his supra dictis ergo pa-
 tet, quod materia acris valde stimulans in tu-
 bo intestinali adeste possit, absque quod inde
 copiosiores producantur alvi evacuationes;
 quod ergo CULLEN argumenta proximam
 hujus morbi causam a DEGNER assumptam,
 acrimoniam nempe in Intestinis, nequaquam
 destruunt; hoc fateri tamen necesse est, quod
 causa Dyfenteriae proxima, in abscondito
 latet.

§. I I.

Illae conditiones in ipso corpore haerentes,
 quae homines ad hanc Dyfenteriae speciem
 magis dispositos reddunt, Causae vocantur
 Praedisponentes, imprimis sunt

1^o. Habitus corporis laxus, temperamen-
 tum biliosum homines caeteris paribus huic
 morbo magis obnoxios reddit.

2^o. Illi, qui antea febribus aliisve morbis de-
 bilitati sunt, facilius in Dyfenteriam incidebant,

om-

omnia ergo , quae quacumque de causa debilitatem indicant, inter Dysenteriae causas praedispicientes numerari merentur.

3°. Illi, qui ob innatam inertiam debitam negligebant munditiam , & quibus corporis vestimentorumque nitor cordi non erat, facilius ab hoc morbo corripiebantur, majoresque apud illos faciebat progressus.

4°. Iuvenes & Senes huic morbo magis obnoxii erant , quam homines adulti & mediae aetatis.

5°. Foeminae non tam frequenter Dysenteria laborârunt , forte ob causas occasionales apud eas non adeo frequentes.

6°. Illos, quibus anima curis, & tristitiâ obsessâ erat, qui, ut, proh dolor! nimis frequenter locum habet, vel vi, vel impiâ fraude a parentibus, uxoribus, liberis & consanguineis divulsi ad navigationem, vel inter milites coacti erant, saepissime huic crudeli morbo magis obnoxios esse observavi, & certe curae & moeror omnes fere corporis secretiones & excretiones impediunt, praecipue functiones vasculorum cutaneorum.

§. III.

Illae Conditiones extra corpus humanum haerentes, quae in praedispositis morbum producere possunt, *Causae Occasionales* vocantur, in nostro morbo imprimis memorari merentur.

10. *Expositio exhalationibus ab aquis paludosis stagnantibus emanantibus* quam maxime huic morbo ansam dat, quod non tantum ex quamplurimis clarissimorum Virorum observatis, sed etiam ex propria mea experientia lucide comprobatum vidi; in Legione nostra octogesima octava post e navibus exsensionem in insulam Jamaicam numerabantur 750 viri, qui omnes, quamdiu Praesidium agitabant in pugnaculo in loco sicco sito, bona fatis fruebantur sanitate, perpauci *Dysenteria* laborabant; sed postquam praeterlapsis nonnullis septimanis in alio loco in vicinia magnae paludis sito collocabantur, vix decem praeterierunt dies, quin fere quarta totius cohortis pars variis morbis, plerique tamen *Dysenteriae* laboraverit, summo jure saepius
lau.

laudati PRINGLE observationes hoc facto confirmatas cenfeo (*e*).

2°. Anni tempestas quam maxime ei cōtribuere videtur, praecipue in Indiis occidentalibus, ubi morbus ille multo frequentius in tempore pluviali grassat, imprimis quando per nonnullos dies temperies sicca intervenit, tunc enim ardor Solis intensissimus est, & exhalationes ex solo antea permadido eo copiosiores sunt, praeterea aestus ille poros cutaneos aperit sudorem copiosum elicit, qui subito pluviorum reditu supprimitur, quod saepissime Dysenteriae ansam praebet huc referri meretur (*f*).

3°. Prava plerorumque nostrorum militum agendi methodus, quum caloris impatientes vestes exuunt, immo omni nocte in aëre aperto nocivo rori expositi dormiunt (*g*).

4°. Vi-

(*e*) PRINGLE *l. c.* P. I. Chap. I. CULLEN *on Fevers*. Part. I. Ch. IV. §. 84.

(*f*) PRINGLE *l. c.*

(*g*) HIPPOCRATES *de tempore pluvioso* PRINGLE *l. c.* Cap. 3.

4°. Vitia in alimentorum qualitate vel quantitate. Milites in Indiis occidentalibus post primum illorum appulsum magnam diaetae mutationem subeunt, pro cerevisia tenui, cui affueti erant, nunc potu spirituofo (*Rum* dicto) plerumque recenti fruuntur, qui iis gratissimus est, qua data occasione, illum sibi parare conantur, & avide ingurgitant; certe video me in hoc casu dissentire a PRINGLE (*h*), sed mihi videtur, quod cerevisia tenuis a *byne*, substantia quam maxime antiseptica & juxta MACBRIDE (*i*), aliorumque experimenta ingentem aëris fixi copiam continente praeparata, certe potius pro remedio antidyfenterico, quam pro causa hujus morbi haberi deberet, & potus ille spirituosus *Rum*, imprimis quando recens est, mihi summo nocivus in hoc morbo videtur, non tantum ob varias in eo contentas fordes, sed etiam, quia variis experimentis comprobatum est, quod hic liquor a machinis destillatoriiis nocivis notabilibus plumbi particulis in-

(*h*) PRINGLE *l. c. part. 2. Cap. 2.*

(*i*) MACBRIDE *Append. ad. Introd. in Theor. & Prax. Med. p. 2.*

inquinatur (k), & praeterea avida potûs illius vel aliorum spirituosorum ingurgitatio debilitatem in constitutione C. H. producere queat, testante etiam PRINGLE (l), quae Dysenteriae periculosissimae ansam praebere potest.

(k) DR. JOHN. HUNTERS *experiments on the Rum used by the Soldiers in Jamaica in ultim. Volum. Comm. Med. Londini.*

(l) PRINGLE *l. c.*



 CAPUT QUARTUM.

De Prognosi.

§. I.

Nullus fere morbus est, in quo majori jure Hippocraticum effatum adducere possimus, acutorum morborum non omnino tutae sunt Praedictiones (a).

Morbus ille semper periculosus est, praecipue si paullo provector, brevissima mora illum lethalem reddere potest:

*Principiis obsta, sero Medicina paratur
Dum mala per longas invaluere moras.*

 Quan-

(a) HIPPOCRATES *Aphor. Sect. 2. Aphor. 19.*

Quando morbus semel egit radices semper de malo in pejus increfcit, atque ftupenda velocitate progreditur ut recte obfervavit DEGNER (*b*), prognofis tamen pro variis morbi fymptomatibus faufta vel infaufta eft.

§. I I.

Felicioꝛ videtur Prognofis.

1°. Quando fymptomata morbi irruentis mitioꝛa & paucioꝛa funt (*c*). Quando alvina excretio violentioꝛibus torminibus & tenefmis non concomitatur.

2°. Ætas adulta fauftioꝛem pꝛæbet prognofin (*d*), ob vitæ vigorem, quam fi morbus pueꝛos, adolefcenſes vel ſenes invadit; Foeminas etiam (licet alii aliter cenſeant) experiẽtiã non tantum huic morbo,
non

(*b*) DEGNER *de Dyſenteria bilioſa contagioſa.*

(*c*) HIPPOCRATES *Praediſt. Lib. II. Cap. 13. p. 821. Edit. Charterii.*

(*d*) DEGNER *de Dyſent. Bilioſo-contagioſa.* HIPPOCRATES *l. c.*

non adeo obnoxias vidi, sed prognosis apud illas vulgo melior erat.

Num effatum HIPPOCRATIS, quod Gravida superveniens Dysenteria periculo plena est (*e*), firmo nititur fundamento, autopsia mihi non probavit.

3°. Nonnulli Auctores dixerunt, quod, si hoc malum sedem & causam habet in intestinis crassis, faventior tunc prognosis erit, quam si intestina tenuia infestat. Sed in omnibus, quae perlustravi cadaveribus nunquam intestina tenuia gravi malo affecta vidi, sed semper intestina crassa.

4°. Si faeces colorem naturalem & consistentiam assumere incipiunt, optima est Prognosis, teste HIPPOCRATE (*f*), fomes enim morbi tunc imminutus denotatur & quod chyli absorptio debite peragitur.

5°. In morbi initio ructus & flatus optima sunt signa, non tamen in morbo proVectiori.

6°. San-

(*e*) HIPPOCRATES *l. c.*

(*f*) *Aphor. 14. Sect. 2.*

6°. Sanguinis puri excretio in initio morbi mihi, testante etiam PRINGLE (g), non videbatur infaustum esse Phænomenon.

7°. Sudoris subitanea eruptio, ut nonnunquam locum habet, vel cutis per totum morbi decursum madida feliciorē prognosin indicare mihi videntur.

8°. Debita urinae excretio bonum in hoc morbo signum praebet, quoniam auctae alvi evacuationes diuresin minuunt, vel etiam prorsus supprimunt; ob consensum colli vesicae cum intestinis aliquando stranguria adest, ita DEGNER in Epidemia Dysenterica observavit, quod aegri per plures dies urinam non nisi guttatim emittebant (h).

§. III.

Infaustum immo lethalem morbi exitum praesagere videntur.

1°. Aë-

(g) PRINGLE *l. c.* p. 3. *Cap.* 5. *s.* 1.

(h) DEGNER *l. c.* *Cap.* I. § 29. *pag.* 17. & *Cap.* 3. §. 72.

10. Ætas junior vel decrepita Senectus (*i*).

20. Quando morbus homines invadit, quorum viscera obstructa, indurata, vel alio modo morbosa sunt, vel in quibus caeochymia locum habet.

30. Si aegri vires a morbo praegresso fractae sint.

40. Quo magis foeces in morbi initio a statu naturali recedunt, eo pejor est prognosis.

50. Ut etiam infelicem mali exitum praevidere possimus, quando Symptomata numerosiora (*k*), in primo insultu vehementiora sunt, & subito magna est virium prostratio.

60. Peculiaris foetor in historia morbi memoratus pessimum praebet signum, ut etiam
fa-

(*i*) DEGNER *l. c.* & HIPPOCRATES *Præd. oper* HIPPOCR. & GALEN, *ed* CHARTERII *Tom. VIII. p. 821.* AËTIUS *Tetrabibl. III. Serm. I. Cap. 43. p. 542. & 543. edit Basil.*

(*k*) HIPPOCRATES *Prædictionum. Lib. II. Cap. XIII. Tom. VIII. p. 821. Edit Charterii.*

facies Hippocratica dicta, subitaneum doloris levamen, vel plenaria ejus sublatio, quæ, æque ac inscia & involuntaria foecum excretio, mortem proxime instare indicat.

Quam plurima alia signa a variis Aucto-ribus ut ab ETMULLER, BONETO, FORESTO, RIVERIO, BOERHAAVE aliisque memorata fuerunt, illa tamen mox memorata ad hanc Dyfenteriae contagiosae speciem propius pertinent.



CAPUT QUINTUM.*De Medendi Ratione.*

§. I.

Cura Dyfenteriae contagiofae fummo jure dividitur in Prophylacticam & curatoriam, & certe, fi ullus morbus, Dyfenteria Prophylaxin requirit, & debite hunc in finem instituta Praefidia fauftiffimum promittunt effectum (a).

Curae prophylacticae fcopus duplex mihi videtur, Primo, ut illos homines, quos ad loca, ubi Dyfenteria morbum fere endemium constituit, ducimus, adverfus perniciofiffimum
hoc

(a) DEGNER *l. c.* Cap. LV. §. I.

hoc malum muniamus, iisque debitum vitae regimen praefcribamus.

Secundo, ut morbo jam grassante praecaveamus, ne pestiferum ejus contagium se magis magisque inter caeteros spargat.

§. I I.

Quod ad primum curae prophylacticae scopum attinet, omnino in genere totis viribus in eo versari debemus, ut omnes causae occasionales, quantum fieri potest, evitentur. Illi, qui nostrae curae dediti sunt, quando periculum dirissimi Dysenteriae contagii instat, sedulo nonendi sunt ut prae omnibus corporis & vestimentorum mundities iis cordi sit.

Quantum fieri potest cavendum, praecipue in Indiis tam Orientalibus quam Occidentalibus, ne recenter advenae spirituosus potibus nimis indulgeant, ne infueti caloris impatientes, praecipue tempore pluvioso, nimis denutati se aëri aperto imprimis nocturno imprudenter committant, illis tamen nimium metum saepe nocivum morbi periculosissimi impertire non debemus, potius hilares
& cu-

& curis sint vacui; hi, qui impia fraude patriâ erepti sunt, (nefarium facinus!) prae aliis nostram merentur misericordiam, illorumque spiritus tempestivo solatio erigere nostrum est.

Sic spes est, si homines mente & corpore sanos & debito vitae regimine adversus omnia mala munitos in loca etiam pravo morbo endemio infesta ducere coacti simus, ut sana prophylaxi, si illos non prorsus a contagio immunes fervemus, saltem morbum plerisque lethiferum pro illis non adeo periculosum reddamus.

§. III.

Alter curae prophylacticae scopus est, ut in illis locis ubi Dysenteria jam observatur, etiam in nosocomiis, ubi multorum dysentericorum congestio lethali mali progressui ad alios nimis favet, contagium quantum fieri potest minuatur & sic implacabilis mortis imperio obstaculum ponatur, ad hunc, si fieri potest, salutarem effectum producendum præcipue inservire possunt sequentia auxilia.

Ægro-

Ægrotantes Dyfenterici non cum iis, qui aliis laborant morbis, in uno eodemque no-
focomii cubiculo jacere debent, fed quantum fieri potest ab aliis feparentur (b) hoc fi im-
poffibile fit, eorum lectus magnis fejungantur intervallis, & optimum erit præfidium, fi continuo fumigationes ope ligni vel bacca-
ram juniperi, vel cum thure, aliisque gummi aromaticis, vegetabilibus refinofis & antifept-
ticis inftituantur, vapor flagrantis Sulphuris, nitri vel pulveris pyrii optimi potest effe ufus quemadmodum methodus ad fiftendum contagium mihi a Doct. CARMICHAEL SMYTH communicata, & ab eo optimo cum effectû in febris putridis adhibita, hîc etiam fummae utilitatis effe potest, fuadet ille, ut inter ægrorum cubilia ponantur lage-
nae apertae acido nitrofo repletæ, ut vapor adfurgens corrigat athmofphaeram, & fic contagii progreflum in morbis putredino-
fis, ut etiam in Dyfenteriâ contagiofâ fif-
ftat. — Acetum per cubiculum circumfper-
gere certe parum efficere adverfus contagii progreflum mihi videtur; ad aegrorum refe-
ctionem, non nihil contribuere potest —

Dy-

(b) DEGNER *l. c.* §. XV. *Cap.* IV.

Dysfentericorum cubicula spatiosa sint & puriori aëri debite patentia.

Foeces excretæ in hoc morbo sæpe foetidissimæ quam citissime ab aegrorum lectis, a cubiculo, immo a domo amoveantur, fedulissima enim attentione per totum morbi decursum curandum est, ut aegri nitidi & ab omnibus fordibus purissimi ferventur, neque inutile foret sæpius illorum manus aquâ tepidâ cum aceto commixtâ abluere.

Cibi & Potus ex antisepticorum genere defumantur.

Haec præcipua sunt hujus morbi remedia prophylactica, quibus mali ingressus impeditur vel ulteriori dispersui obstaculum ponitur.

§. I V.

Cura Dysenteriae curatoria, sequentibus absolvitur indicationibus.

1°. Ut primæ viæ a fordibus depurgentur.

2°. Ut materia aeris a tubo intestinali elimi-

minetur, quae sive proxima hujus mali causa fit, nec ne, certe ab omnibus auctoribus (c) in Intestinis adesse agnoscitur, & sic etiam dirissimis hujus morbi symptomatibus, torminibus & tenesmo obviam ire conatur Medicus.

3^o. Ut impetus humorum circulantium quantum fieri potest, ope diaphoreticorum debito temporis puncto adhibitorum ad vasa cutanea determinetur.

4^o. Quum hicce morbus quam maxime ad putredinem tendit, continuo hoc attendendum est, ut vis vitae sustentetur & debilitati, in nonnullis casibus, ab inevitabili usu laxantium & diaphoreticorum facile exortae occurratur.

5^o. Ut finito jam morbo, intestina & Systema corporis universum prudenter roborentur, remanensque acrimonia, si ulla sit, subigatur.

§. V.

(c) DEGNER, PRINGLE, CULLEN aliique in saepius memoratis tractatibus.

§. V.

Quod ad primam indicationem pertinet, ut primae viae a fordibus depurgentur, quum frequentissime morbus ille nauseâ & vomitu inchoat, emeticum fere semper in initio requiritur, quem in finem vel Ipecacuanha vel Tartarus emeticus vel ambo simul adhiberi possunt, cum potu largiori & infusis diluentibus ex infusis Flor. Chamaemeli vel Cardici Benedicti (*d*). Licet Radix Ipecacuanhae, a DEGNER (*e*), PISO (*f*), & BAGLIVIO (*g*) ob specificam adversus Dysenteriam virtutem decantetur, tamen experientia (saepius enim parvis dosibus illam adhibui) me docuit effectum ejus parum esse commendabilem; saepe citatus G. BAKER in eadem
cir-

(*d*) DEGNER *l. c.* Cap. III. §. II. A. CRUCIANI *Diff. de Dysenteria in collect. Dissertat. Med. Vendobonens. ad morbos chronicos edita a J. EYEREL. V. I. Diff. VI.*

(*e*) DEGNER *Cap. III. §. 18.*

(*f*) C. PISO *de Indiae utriusque re naturali & Medica L. II. c. 9.*

(*g*) BAGLIVIVS *prax. med. Lib. I. de Diarrh. & Dysent.*

circa Ipecacuanham versatur opinione; in morbi initio pro emetico illam Tartaro emetico junctam dedi. Sed credo vires ejus nihil prae tartaro emetico peculiare habere, immo forte Tartarus Emeticus praevalere videtur.

Illi auctores, qui ex professo de Dysenteria scripserunt uno fere ore remediorum purgantium usum laudibus in coelum extulerunt, & simul nocivum adstringentium & opiatorum in morbi initio effectum demonstraverunt, inter quos CULLEN (*h*), PRINGLE (*i*) & BAKER (*k*) nominasse fatis erit; DEGNER etiam quam maxime materiae acris intestina irritantis egestionem commendat (*l*) & hunc in finem Rhabarbari vires valde attellit, immo illi radici specificam adversus hunc morbum virtutem adscribit (*m*).

Rhei

(*h*) CULLEN *l. c. part. I. b. IV. §. 1080.*

(*i*) PRINGLE *part. 3. c. V. §. 4.*

(*k*) G. BAKER *in l. c.*

(*l*) DEGNER *de Dysenter. contag. Cap. 3. §. II,*

(*m*) DEGNER *l. c. c. 3. §. 28,*

Rhei efficacia in hoc casu mihi semper suspecta fuit ob incertam & tardio rem ejus actionem, & vim ejus adstringentem, hanc meam opinionem confirmatam video in optimo circa hunc morbum tractatu Doct. G. BAKER supra memorato.

Antequam Oleum Ricini, (de quo in posterum) adhibebam, sale utebar cathartico amaro soluto ope vitelli ovi cum oleo olivarum vel amygdalarum commisto, hoc remedium praestantissimum inveni, quando ventriculus illud, ob saporem valde nauseosum, non respuit, quod tamen saepissime contingebat.

§. V I.

Secunda Indicatio, Subactio scilicet Acrimoniae irritantis, postulat oleosa demulcentia, laxantia lenitiva parvis dosibus longisque intervallis & hinc quam maxime commendare debeo oleum Ricini per expressionem tanquam remedium in hocce morbo praestantissimum, efficacissimum, oleum illud ex feminibus Ricini communis LINNÆI, vulgo *Palma Christi* vocati, exprimitur, albidum est, spissiusculum, si recens est, aetate magis

gis spiffescit & rubicundum fit, hoc Remedium semper formâ mixturae adhibui cum vitello ovi in aqua Cinnamomi solutum, & additae Syrupo C. Aurantiorum quantum sufficiebat ad gratam dulcedinem.

Capiebant aegri hujus mixturae fescunciam quartis vel sextis horis, sequentes optimos effectus ab hocce oleo observavi.

1^o. Materia acris in ventriculo producta eo demulcebatur & leniter evacuabatur, tormina & tenesmi sic admodum minuebantur, imo nonnunquam prorsus tollebantur.

2^o. Eo Remedio aegri continuo leniter intestina exonerabant, iisque exonerationibus illud oleum semper aliquid suppeditabat, sic dirissimi in hoc morbo cruciatus, Tenesmi, ab inanibus ad alvum evacuandam conaminibus oriundi, oleo Ricini quam maxime mitigabantur, vel etiam brevi prorsus ablati fuerunt, tollendo ergo duo haecce gravissima imo plane intolerabilia Symptomata Tormina nempe & Tenesmum, dispositioni ad Gangraenam obviam ire debet, quae vehementi horum Symptomatum dolore frequenter excitari mihi videtur; & certe in illis casibus,
ubi

ubi data fuit occasio curandae Dyfenteriae ab ipso morbi initio propinatione olei Ricini, femper optimum ab ejus usu percepit effectum, molestissima illa mox memorata Symptomata immo ipse morbus quotidie diminuebantur, donec prorsus cessabant.

§. VII.

Tertia Indicatio augmentum Diaphoresis postulat.

Quum, ut antea §. III cap. III dixi, intempestivam corporis denudationem & refrigerationem saepissime inter hujus morbi causas observavi, certe suppressae Diaphoresis restitutio in integrum prodesse debet, ita tamen, ut remediis eum in finem adhibitis, nec solida debilitando & fluida nimis attenuando putredini faveamus, nec nimio stimulantium usu febrim augeamus, neque effecta medicamentorum leniter diaphoreticorum, moderatâ illâ alvi evacuatione ab oleo Ricini excitata, impedita fuerunt, sic dicit etiam CULLEN (n), quod circulationis ad cutem
ope

(n) CULLEN *l. c.* Part. I. Ch. VI. §. 168.

ope sudoriferorum directioni usu moderato purgantium favetur.

Medici nonnulli optimos effectus remediorum sudoriferorum adhibitioni tribuerunt, illa tamen medicamina de die parum vel nihil efficere possunt, quoniam hoc tempore aegri saepius e lecto surgere debent ad alvum exonerandam, quo somni tempore non tam frequenter vexantur, vespere ergo tantum illa remedia dedi & postquam per duos tresve dies mixturam demulcentem supra praescriptam sumserunt, (haud quaquam antea) cum diaphoretico jungatur paululum succi papaveris, quo vis ejus sudorifera non tantum augetur, sed simul aegro somnus et quies conciliantur.

§. V I I I.

Quartae Indicationi, virium scilicet sustentationi & putredinis correctioni satisfacere conatur Medicus remediis antisepticis, roborantibus, excitantibus, cuique, qui materiem medicam primis tantummodo gustavit labiis, notissimis, quae ergo hîc fusius & nominatim adducere supervacaneum foret, Radicem

Columbo tanquam in hoc morbo utilissimam tantum nominabo.

Diaeta ex cibis potibusque eupeptis & euechymis parca quantitate, sed saepius adhibitis constare debet; usus vini generosi debita dosi tantum pro excitante & antiseptico, nunquam ea quantitate, ut febrim augeat, dysentericis in hoc morbi stadio saepe quam maxime prodest, praecipue versus finem morbi & quando vires admodum exhaustae sunt; talia remedia etiam cum supra commendata mixtura jungere possumus, si adhuc aegri vires non nimis imminutae sint, & sic duabus Indicationibus uno eodemque tempore auscultare remedio.

Fructus maturi dysentericis non tantum semper gratissimi eorumque sitienti palato delectabiles sunt, sed etiam tantum abest, ut illi hunc morbum procreare, vel maxime ei nocere possint, quemadmodum nonnulli voluerunt Auctores, ut, potius pro optimo remedio sint, quod jam ab ALEX. TRALLIANO (o) & postea a DEGNER (p), &
PRIN-

(o) ALEX. TRALLIANI *Lib. VIII. ed Basil.*

(p) DEGNER. *l. c. Sect. 39. 77. Cap. III.*

PRINGLE (*q*), BAKER (*r*) & MACBRIDE (*s*), observatum fuit. — Pariterque praestant acida omnia nativa vegetabilia, acida fossilia, quia mihi nimis acria videbantur, nunquam in usum vocavi.

§. IX.

Quinta Indicatio, totius corporis & praecipue intestinorum virium incrementum suadens, eadem fere ac praecedens postulat remedia, tonica scilicet adstringentia, roborantia, idemque vitae regimen.

Per totum hujus morbi decursum diaeta demulcens sit ac putredinem resistat; cibus ergo ex mucilaginosus facilis digestionis, potus ex aqua hordei, oryzae, panis, decocto albo, similibusque, additis magis vel minus excitantibus, desumantur; quae praeterea ad Diaetam attinent, satis superque a DEGNER, PRINGLE, BAKER aliisque praescripta sunt.

§. X.

(*q*) PRINGLE *l. c. p. I. Cap. 3.*

(*r*) G. BAKER *l. c.*

(*s*) MACBRIDE *l. c.*

§. X.

Quum virium sustentatio & putredinis depulſio praecipuam curationis partem in noſtro morbo efficiunt, certe ſummi eſt momenti de nocivo vel proficuo venae ſectio- nis effectu nonnihil dicere; PRINGLE (t) & BAKER (v) V. S. commendârunt & certe non dubito, quin tanti nominis Viri, optimum effectum in Dyſenteria viderint, & inde concluderem, quod illud remedium forte in Europa; illorum Virorum praxeos ſede, optimi uſus eſſe poteſt; nunquam tamen bonum eventum a V. S. in Indiis Occidentibus obſervavi, in calidiori illo climate corporis ſolida & fluida ad putredinem magis ſunt diſpoſita & licet ſymptomata adſint, quae inflammationis metum incutere poſſunt, V. S. tamen nunquam bonum habuit effectum, potius e contra nociva fuit, vires diminuendo & ſic morbo favendo; tantum abeſt, quod aegri robur infringendum ſit, quod
ma-

(t) PRINGLE *part* 3. *Cap.* V. §. 4.

(v) BAKER *l. c.*

magis, vires omnibus, quibus pollet ars, auxiliis sustentandae sunt, ut aeger tanto hosti resistere valeat, DEGNER etiam V. S. in hoc morbo improbavit, licet in Europa praen agebat (x), & CULLEN dicit, quod nunquam in morbo, ubi debilitas instat, symptomata inflammatoria pro V. S. indicantibus haberi debeant (y).

§. X I.

Talis erat mea curandi methodus, quae saepissime quam optime pro voto mihi cessit, quando non deerat occasio ad huncce morbum ab ipso ejus initio tractandum, sed quando hoc mihi non contigerit, si, quacumque de causa morbus suas jam egisset radices, antequam auxilia praestare potui, vel ob majorem aegrorum a nosocomio distantiam, vel ob eorum inertiam vel contra remedia praescriptamque dietam repugnantiam, quando morbus tam vehemens erat, ut omnia adlata remedia sperneret & intestinorum
ab

(x) DEGNER *Cap. V. §. 10.*

(y) CULLEN *on Fevers Part I. Ch. VI. §. 141.*

abraforum indicia jam adessent, diversa ab antea commendatis, tunc instituenda erat ratio medendi; vires aegrorum quam maxime labefactatae evacuationes non amplius ferebant & medicus etiam invitus cogitur ad opiatorum praescriptionem, licet ea remedia hostem potius includere, quam pellere videantur, praecipue in illis casibus, ubi necessariae evacuationes praemitti non potuerunt, inevitabile tamen nonnunquam est pro tempore cum hoste inducias facere, ad sistenda molestissima & dolorifica hujus morbi symptomata, crudeles tenesmi & ut aegro suo morbo defatigato eorum & demulcentium usum pacata nonnulla momenta conferamus.

Tunica intestinorum abrafa enematis ex mucilaginosi, oleosi, solutionibus amyli quasi restituere & sic tubum Intestinalem ab acri dysenterica materie defendere debemus, DEGNER hunc in finem commendat usum internum Radicis Salab (z), cujus usus a G. BAKER tanquam summae utilitatis memoratur: semper necesse inveni clysmatibus
non-

(z) DEGNER *l. c.* Cap. 3. §. 60, 68. *Salab Orchis*
MORIO LINN.

nonnihil opii adjicere, ut diutius retineantur in intestinis tenerrimis a minimo stimulo ad excretionem irritatis, in nonnullis tamen casibus intestinum rectum adeo sensibile erat, ut fistulam clysteris etiamsi caute intestino ovillo vel fuillo investitam ferre non potuerit; saepe potus largiores feri lactis, nonnunquam abdominis fomenta, in aliis, rarioribus tamen casibus, vesicatoria profuerunt.

Quando aeger his aliisque auxiliis majus acquisivit robur, & tunica Intestinorum villosa fere sanata erat, tunc radix Columbo summae erat utilitatis simul cum vino dulci generoso; remedia opiata, cum aromaticis juncta, ut Theriaca, Philonium Londinense, aliaque ab Auctoribus commendata, semper nocivos habuerunt effectus (a); Lignum Campechense & Simarubae Cortex a nonnullis admodum laudata, licet utilissima forte remedia, non adhibui, quoniam Radix Columbo & in nonnullis casibus, Cort. Peruv. omnino meam spem impleverunt: SYDENHAM notavit, quod Dysenteriam solius ejus laudani ope saepis-

(a) De aromaticorum effectibus nocivis vide BAKER in tractatu saepius memorato.

pissime sanaverit (*b*), sed quam maxime differt illa Dyfenteria SYDENHAMI a nostro morbo.

Cortex Peruvianus summam habuit utilitatem, quando febris, quae Dyfenteriam contagiosam comitabatur, formam intermittentis induit, tunc Cortex ille non in substantiâ, quam prae intestinorum tenerrimorum irritabilitate ferri nequit, sed in Decocto, vel potius in infuso filtrato adhiberi debet; tunc etiam necesse videtur, si vires ferant, usum olei Ricini Corticis Peruviani usui interponere.

§. XII.

Sic nunc meam qualemcunque Dissertationem ad finem perduxî, dirissimi saevissimisque symptomatibus stipati morbi, qui in variis orbis terrarum partibus, praecipue tamen in regionibus a me visitatis, inter omnium hominum classes, imprimis inter milites saepe gravissimam edit cladem, historiam, prognosin, & curandi methodum pro
vi-

(*b*) SYDENHAM *de Morbis Acutis* §. 4. Chap. I.

viribus pertractavi; propria mea experientia, quantum memoria suppeditabat, calamum direxit, meaque comperta clarissimorum in arte Virorum observationibus confirmare tentavi, immo & in paucis casibus a nonnullis dissentire ausus fui, certe me non immodeste jactabo, per inde ac, si circa morbum tam egregie ab egregiis Viris tractatum aliquid novi antea non detecti invenissem, meque satis felicem habebō, si meorum observatorum communicatione ad corroborandas summorum Medicorum observationes, ad firmandam rectam huic morbo medendi methodum &, ad evitandos tam in curatione, quam in vitae regimine errores, aliquid non inutile contribuere mihi licuerit.

Vitia sine dubio hinc inde in hoc specimine obvia, ut B. L. pro humanitate corrigat, omissa suppleat, etiam atque etiam, rogo.

T A N T U M.

H

C O.

COROLLARIA ET THESES.

I.

In Dysenteria bilioso - contagiosa parum efficere videtur Rhabarbarum.

II.

In eodem morbo Venae Sectio nociva est.

III.

Quam optime prodest in illa Dysenteriae specie Oleum Palmae Christae recenter expressum, Oleum Ricini vocatum.

IV.

An Alimenta oleosa vel pinguia nonnunquam causae Diarrrhaeae? — Si affirmetur, quomodo producuntur effectus? —

V.

In primo stadio Phthisis Pulmonalis quam maxime prodesse potest Motus Lenis Oscillatorius.

VI.

Ut etiam in illo morbo optimos praestat effectus Hyoscyamus niger.

VII.

V I I.

In Choreâ Sancti Viti Aconitum recens valde proficuum videtur.

V I I I.

In Hydrope potus Aquosi largiores saepe maxima cum utilitate adhibere possunt.

I X.

In Anasarca, ut etiam in omnibus tumoribus acquis, optimo cum effectu datur Lactuca Sylvestris.

X.

Ut etiam in Hydrothorace Digitalis Purpurea.

X I.

Diuretica nimis stimulantia ad Urinae secretionem parum profunt.

X I I.

Omnia, quae vasorum externorum constrictionem producant, internas secretiones augent.

VII

U. S. DEPARTMENT OF THE INTERIOR
BUREAU OF LAND MANAGEMENT

VIII

U. S. DEPARTMENT OF THE INTERIOR
BUREAU OF LAND MANAGEMENT

IX

U. S. DEPARTMENT OF THE INTERIOR
BUREAU OF LAND MANAGEMENT

X

U. S. DEPARTMENT OF THE INTERIOR
BUREAU OF LAND MANAGEMENT

XI

U. S. DEPARTMENT OF THE INTERIOR
BUREAU OF LAND MANAGEMENT

XII

U. S. DEPARTMENT OF THE INTERIOR
BUREAU OF LAND MANAGEMENT